SPRAWOZDANIE


DYREKCYI

C. K. Wyższego Gimnazyum w Kołomyi

ZA ROK SZKOLNY

1883.

Treść:



KOŁOMYJA, 1883.
Nakładem funduszu szkolnego.
Z drukarni Michała Biłousa

Difficultates,

quas parat prooemium carminis quinti Odysseae collatum cum iis, quae initio carminis primi narrantur et inde coniecta tractantur.

Ex quo Fr. Aug. Wolfius ille asseveravit nunquam vixisse Homerum, qui utrumque carmen epicum cecinisset atque litteris mandasset, cum nec arcana litterarum illis temporibus nota fuissent, sed utrumque egregium carmen et Iliada et Odysseam decursu temporis compositum esse ex minoribus carminibus, quae passim in variis regionibus a rhapsodis facta, decantata, memoria solum custodita et posteris tradita essent, donec pars quaedam eorum carminum a Pisistrato in ordinem redacta duo praeclara poëmata, quae Ilias et Odyssea inscribuntur, efficerent, acerrimum certamen inter doctissimos viros ortum est, cum alii veterem illam et inveteratam tot saeculis quasi sancitam opinionem Homerum et vixisse et utrumque carmen composuisse defenderent, alii vero Wolfium sequerentur eiusque sententiam argumentis undique petitis firmarent.

Recentioribus temporibus doctissimi viri firmissimis argumentis ac rationibus demonstrarunt in utroque carmine Homerico inveniri locos, qui difficultatem ex quadam parte parent; ex quo ab iisdem viris variae eaeque diversae coniecturae factae sunt.

Nos disputaturi sumus de difficultatibus, quas in prooemio carminis quinti Odysseae collato cum iis, quae initio primi carminis narrantur, existere, doctissimi

viri statuunt et quae sint inde coniecta idque ut assequamur, narrationem quinque carminum priorum ut sequamur, necessarium esse putamus. Quae cum ita sint, incipiamus a carmine primo et ad ea, quae in eo et in iis, quae sequuntur carminibus, narrantur, advertamus animum.

Narrantur autem in Odyssea haec quae sequuntur:

Invocata Musa canit vates initio primi carminis Odysseae multa, quae utrum et quomodo secum cohaereant et aptum prooemium operi praefigantur, infra argumentis et rationibus docere conabimur. Troia diruta errat et vagatur Odysseus per varias regiones, socii eius perierunt inconsiderantia sua, cum boves soli consecratas comedissent. Alii duces et heroes Danaorum in patriam redierunt; Odysseus tantum in insula Ogygia per vim retinetur a Nympha, cui nomen Calypso, quae ex eo postulat atque flagitat, ut se in matrimonium accipiat. At venit tandem tempus, quo, ut Odysseus domum revertatur, a diis est sancitum. Omnes dii commiserantur fortunam Odysei, excepto Neptuno, qui eum inexpiabili odio persequitur. Sed Neptunus contulit se in Aethiopiam ibique epulis conviviisque delectatur; Iuppiter vero convocat concilium deorum, repetit memoria Aegisthum dicitque iniustam esse querelam, quod dii hominibus calamitates inferant, cum ipsi homines sua insipientia in miseriis versentur, idemque valere de Aegistho, qui occiderit Agamemnonem, quamvis eum ipse monuerit, ne tale facinus committat, neve uxorem eius in matrimonium ducat, cum Orestes mortem patris persecuturus sit.

Hac occasione utitur Minerva, ut quid proferat in commodum Odyssei, quem in patrocinium suum susceperit, subsequitur sermone Iovem dicitque rem ipsam loqui eadem ratione, atque iuste Aegisthus poenas dederit, inique in insula Ogygia a Calypsone retineri Odysseum, qui semper victimis et largitionibusque [illegible]

lentiam deorum consectari studuerit. Iuppiter intellegit his verbis se esse quodammodo perstrictum, purgat se filiae dicens: vera esse quae sint ab ea prolata, cum Odysseus semper sacra diis rite perfecerit; neque se esse invitum, ut Odysseus in patriam revertatur, tamen adversari ei rei vehementissime Neptunum, qui Odysseo ob Cyclopem oculo privatum irascatur et impediat, quo minus is domum redeat. Cum vero absit Neptunus, facile fieri posse, ut omnium deorum consensu reditus Odyssei constituatur. Neptunum ad sententiam deorum accedere oportere, cum haud facile sit futurum, ut is a sententia omnium deorum sit alienus et cum iis simultates exerceat.

His ita dictis cum Minerva animadverterit Iovem Odysseo summam benevolentiam significare, postulat, fiat auctoritas deorum, ut Mercurius in insulam Ogygiam se conferat et Calypsoni nuntiet: in optatis esse diis, ut Odysseus in patriam revertatur; se ipsam vero profitetur in Ithacam profecturam et Telemachum commonituram, ne ferat diutius lascivias procorum et ut Pylum et Spartam iter suscipiat, si quid forte certi ibidem de patre suo audierit; quae quum dixerit, statim in Ithacam se confert, adit Mentae Taphiorum regis specie induta Telemachum, excitat eum variis sermonibus ad spem patris reducis propediem videndi hortaturque ad concionem Ithacensium agendam, in qua procorum iniurias palam accuset et ut ipse statim de patre sciscitatum ad Nestorem ac Menelaum recens ab erroribus regressos proficiscatur. Haec omnia fiunt — Telemachus convocat publicum consilium Ithacensium, obiurgat procos, proficiscitur cum Minerva, quae Mentoris speciem induit et ei instructam navem dat, Pylum deinde cum Pisistrato Spartam, ubi cum patrem in insula Ogygia a Calypsone retineri audierit, reditum parat domum, cum repente narratio interrumpitur et in Ithacam transfertur, ubi sola Euryclea scivit Telemachum iter suscepisse. Cum vero proci compererint Telemachum maritimum iter ingressum esse, parant ei insidias, conscendunt navem et

proficiscuntur e portu. Cupidi sumus scire, cum narrationem hucusque prolatam secuti simus, qualem exitum expeditio procorum habitura sit speramusque in quinto carmine hanc rem planam perspicuamque fore. At spes nos fefelit, cum initio V-ti carminis longe aliae res memorentur. Incidimus in alterum concilium deorum, videmus Minervam adesse et ad audiendi cognoscendique studium ferimur, quibus de rebus dii et praecipue Minerva aucturi sint. Si narrationem superiorum quatuor carminum memoria tenemus, coniicere debemus, quae res in concilio proferantur speramusque, rem, de qua in hoc altero concilio sint acturi dii, ad Odysseum pertinere debere. In primo concilio deorum duae propositiones Minervae sunt sancitae: ut Mercurius ad Calypsonem se conferat eique voluntatem deorum de Odyssei reditu nuntiet et ut ipsa in Ithacam proficiscatur. Minerva fuit iam in Ithaca, fuit Pyli; in somno apparuit Telemacho Spartae monens eum, ut domum redire properet et reversa est in Olympum. Si haec omnia complectimur et deos in concilium convenisse videmus, merito atque optimo iure exspectamus Minervam ex itinere in Olympum reversam esse narraturam, quid fecerit, quod ad commodum Odyssei referatur simulque deam ex Iove interrogaturam: sitne missus ad Calypsonem Mercurius, ut in primo concilio decretum est? At haec omnia silentio praetermittuntur. Minerva graviter conqueritur de Ithacensibus, quod regis sui sint obliti. Quid vero potest ab Ithacensibus fieri, quod pertineat ad commodum Odyssei eiusque miseriam levet, cum is in insula Ogygia a Calypsone per vim retineatur et Ithacenses de ea re nihil sciant? Ithacenses cunctabundos in reducendo Odysseo esse, vehementissime vituperatur; quare autem Mercurius in insulam Ogygiam nondum iverit, hoc ne verbo quidem commemoratur. At fortasse Minerva Iovis potentiam respiciens extimuit, ne pater monitis laesus et filiam minitabundus repellat et Odyssei rem omittat; contra quod respondemus unumquemque, qui saepius carmina Homerica evolverit, scire

deos Homeri in talibus rebus libere atque aperte sententias suas promere solitos esse, etiamsi Iovis iram moveant. Neque vero postulamus, ut Minerva Iovem vehementer incuset. Si dea eandem rationem dicendi in altero atque in primo concilio servaverit, non est, quare difficultates moveamus. At haec omnia frustra desiderantur. Quare igitur Iupiter missum fecit id, quod est in primo concilio sancitum?

At fortasse Iupiter secutus auctoritatem fratris Neptuni, ut nonnulli putant, in reducendo Odysseo est moratus; quibus respondemus nonnihil hoc valere, attamen, neminem esse, contendimus, quin neget Iovem auctoritatem fratris magis secutum fuisse, si eo absente Odysseum in patriam reducendum curasset, cum Neptunus victimis Aethiopum delectaretur. Postea vero Neptunum magis esse laesum, cum ex Aethiopia revertens Odysseum remeantem domum conspexerit, quis non intellegit? Quod si revera haec ratio concinatorem operis in componenda Odyssea moverit, debuit id paucis commemorare et certe commemorasset, si eam rationem sequi voluisset. In incerto pono, utrum hoc vates in superioribus, an initio quinti carminis commemorare debuerit? Sententiae initio quinti carminis prolatae sunt eiusmodi, ut facile talem commemorationem apto loco positam patiantur. Vates potuit commemorare Minervam, cum ex itineribus in Olympum rediisset, Iovem in reducendo Odysseo morantem in concilio deorum compellare vel potius ex eo postulare ac flagitare, ne omitteret perficere, quod in primo concilio decretum esset.

Quodsi vates ea, ut paulo antea diximus, ratione compositum prooemium quinto carmini adiunxisset, propemodum saltem cohaerentiam et nexum sententiarum servatum et nobis aliqua ex parte satisfactum esse diceremus. Hic vero ordo in narratione servatus minime respicit eas, quae antecedunt in superioribus quatuor carminibus narrationes. Vituperantur Ithacenses, quod sint regis obliti. At vero infandum! Ithacenses etiam in maiora dedecora incurrunt eoque acrius vehementuisque

reprehenduntur. Proci struunt insidias Telemacho reversuro, quod Ithacenses aequo animo fieri patiuntur, et nos non negamus, quin, hi tres versus 18—20 unici sint, qui narrationem carminis Vti. referant ad ea, quae in superioribus quatuor carminibus proferuntur. Hisce versiculis positis id agit is, qui Odysseam in ordinem redigebat, ut narratio perpetuo fluat, quamquam commemoratio, quod proci Telemacho insidiantur, minoris est momenti, quam ut eadem narratio in quatuor primis carminibus prolata, cum sequentibus carminibus et praeprimis cum narratione carminis Vti arcte jungatur cohaerentiaque efficiatur, ad quod compositor animum advertere debuit.

Ex iis, de quibus supra disputabamus, fit planum Minervam in concilio deorum res non necessarias ad evolvendam narrationem protulisse, omisisse vero commemorare ea, quibus narrationes carminis quarti et quinti jungerentur, cum non cognitum teneamus, quibus causis motus Iupiter Mercurium ad Calypsonem mittere neglexerit. Vates rem minime explanavit, cum Minerva eandem ne verbo quidem tetigerit. Oblitusne sit Iupiter eius rei, mutaveritne propositum, quis tandem divinari potest? Fortasse Iupiter ipse eam rem illustrabit, cum a versu 21 Minervae responsurus orationem incipiat. At iterum falso speravimus. Iupiter nihil de his rebus explicat, sed stupet potius admiratione, quod Minerva talia profert, cum ipsa consilium ceperit, ut Odysseus domum reversus a procis poenas repetat.

Ex iis, quae Iupiter dicit, non dubium est, quin ignotum sit regi deorum iter, quod Minerva ipsa ex Olympo in Ithacam et deinde praesidii causa Telemachum comitata Pylum susceperit; concilium vero primum et decreta in eodem facta maximo silentio premuntur. Iupiter eam rationem sequitur in oratione sua, ac is in hoc concilio primum Odyssei mentio facta sit.

Iupiter respondet ad querimoniam Athenae paucis etenim sex versibus et ita, ut non sit planum utrum verbis:

ut, cum sit Odysseus in tali discrimine, Iupiter magis misericordia moveatur ideo, quod etiam filio Odyssei Telemacho vel maximum periculum a procis insidias ei struentibus immineat, qua ratione apta cohaerentia utriusque sententiae non negatur, probatur tamen minime utramque ita quamvis per se apte iunctam sententiam ad antecedentem narrationem spectare eamque omni ex parte respicere atque postulare.

Versus 21 et 22 ex Odysseae carmine primo, 63 et 64 hic transpositi. Concedimus tales repetitiones vel saepissime apud Homerum in allocutionibus et responsis inveniri, quare de iis nihil agemus; aliud vero iudicium est nostrum, si proximos duos versiculos 23 et 24 ex Odysseae libro XXIV 479 et 480 assumptos cognoverimus, ubi sententia, quam hi versiculi exprimunt suo loco posita esse videtur, cum Minerva sollicita sit, quomodo Odysseus necatis procis concordiam cum Ithacensibus constituat et in ea re ex Iove quaerat, sitne futurum, ut quae sunt adversae factiones armis certent, an foedus componant? Cui Iupiter, ut filiae animum sedet, benevolentia et hoc loco aptissime respondit, non esse, quare desperet atque de Odysseo, quamvis procos necaverit, timeat, cum ea ipsa consilium ceperit, ut Odysseus revertatur et a procis poenas repetat, qua in cohaerentia et versus et sententiam aptissime positos. quis est, quin ignoret; quod idem de nostro loco haud quisquam affirmaverit. praesertim cum monuerimus supra, quam in partem sententiae in hisce versiculis expressae et cum antecedenti oratione collatae accipiantur. — Nostro loco versus inepte sunt positi. Iupiter magis miseriis pressum Odysseum iuvasset et Minerva magis esset contenta, si Iupiter in oratione sua dixisset paratum se esse efficere, ut Odysseus in patriam revertatur

Ex iis, quae supra exponebamus, fit planum, prooemium V-ti carminis Odysseae a versu primo usque ad versum 27-um compositum esse ex versibus, qui ex aliis locis Odysseae, ubi sunt suo loco et aptam efficiunt sententiam idque factum esse eo consilio, ut pro-

oemii narratio ad antecedentem orationem, quae quatuor primis carminibus Odysseae continetur, spectet et referatur eoque sententiae et narrationes arcta iunctura constrictae et colligatae esse videantur. Scimus equidem, neque est nobis incognitum, saepe apud Homerum versus iterari ita, ut versus duobus vel pluribus locis verbum e verbo legantur, qua in re explicanda vel maximam laudem meruisse videtur doctissimus Godofredus Hermannus in libello, quod inscribitur: „de iteratis apud Homerum“, quo in libello doctissimus vir invictis argumentis probavit iterationes apud Homerum nonunquam et iuveniri et postulari et necessarias esse, quam legem compositores utriusque carminis Homerici latius evolverunt atque huic usui innixi versus ad arbitrium iterabantur. In opusculo, quod modo commemoravimus, Hermanus firmissimis argumentis ac rationibus docet, tria esse genera iterationum versuum apud Homerum. Itaque iterantur iidem versus in comparationibus, et in legationibus, ubi legatus Homerico modo loquendi rem, quae sibi nuntianda est mandata iisdem verbis, quibus percepit, ei, ad quem missus est, mutatis mutandis, nuntiat, quod genus iterationis saepius in utroque carmine Homerico invenitur.

Alterum genus iterationis est eius modi, ut, si vere rem consideraverimus, iteratio nulla habeat locum, cum inveniatur ea hisce Homericis locis, ubi duo vel plura carmina Homerica a quodam auctore in unum sunt iuncta et conglutinata et cum iidem versus in utroque vel unoquoque carmine canerentur, non est, quare miremur, quod hi iidem versus pristino loco relicti duobus locis iterum leguntur in carmine ex pluribus carminibus composito. Tertium genus iterationis illud est, quod compositores Iliadis et Odysseae ipsi dedita opera in utrumque carmen inseruerunt nonnullis locis, ubi narratio minus apte procedere neque cohaerere videbatur, idque fecerunt eo consilio, ut claudicanti atque interruptae cohaerentiae sententiarum succurrerent; ad quod genus iterationis et nostri versiculi, qui in prooemio V-ti

carminis 1—27 leguntur, sunt referendi, ex quo sequitur hos versiculos esse spurios et ideo e textu eliminandos, quo facto alterum concilium deorum interpolatum esse, statuimus, quod et internis et externis rationibus firmare planumque facere conabamur ita, ut secuti simus et iudicia multorum doctissimorum virorum, qui in ea re omnes consentiunt neque 1tem movent et si quid potuerimus, nonnihil ex nostro iudicio probabamus.

His ita disputatis planum est 28 priores versiculos quinti carminis Odysseae suppositos atque ex aliis carminibus esse translatos, quos, si amoverimus, lacunam habemus, quam nisi expleverimus, narratio quinti carminis, si a versu 29 incipiatur, nulla ratione cum re quarti carminis cohaeret neque ad eam refertur, quam difficultatem, ut amoveamus, ad duas res animum advertere debemus. Initio disputationis nostrae diximus existere viros eosque doctissimos, qui utrumque carmen Homericum et ab uno vate compositum et in utroque certam rationem consiliumque esse expressum, ad quae omnia episodia sint referenda et quibus utrumque carmen quasi contineatur, affirment atque defendant, cum alii sententiam contrariam veram esse contendant. Verum est equidem unitarios quoque concedere, initium quinti carminis esse interpolatum; attamen difficultati mederi posse contendunt, ita, ut in locum alterius concilii alios versus ponant, qui narrationem quarti et quinti carminis arcte coniungant. Nitschius sociique eius totum carmen putant penetrare atque continere unam sententiam primariam, ad quam omnes aliae sententiae, descriptiones, episodia sint referenda. Nitschius dividit Odysseam in quatuor partes. Prima pars a carmine I. usque ad finem carminis IV-ti agit de Odysseo absente.

Carmen alterum a V.—XIII. v. 123. de Odysseo domum reverso. — Carmen III. de Odysseo reverso et poenas de procis sumere parante. XIII 125 — XVII. 182. Carmen IV. de Odysseo procos ulciscente et animum populi propter trucidationem procorum offensum

placante. Haec sententia Nitschii, a qua Faesius, quoad carmen Nitschii III. et IV. paullum discedit, ceterum eisdem assentitur. Nos vero contendimus primum maius carmen Nitschii aptius carmen de Telemacho iter suscipiente et peregrinante nominari, cum in quatuor primis carminibus res a Telemacho in Ithaca, Pyli et Spartae gestae proferantur et cum sit Telemachu filius Odyssei per se sequi videtur, ut Odyssei absentis nonnunquam fiat mentio, praesertim cum de procorum lasciviis et iniuriis domo Odyssei illatis latius et vivide narretur, quae omnia haud alia esse putaverim, ut iam ideo, quod mentio, fiat Odyssei, totum carmen ab eo nomen ducat, quamvis omnes actiones ad Telemachum sint referendae et ab eo perficiantur, quare et narratio huius maioris carminis Nitschii, si quatuor priveorum carminum Odysseae nulla ratione ad ea, quae in V. carmine narrantur referri neque cum iis iungi neque eadem postulare videntur, quod idem valet de narratione a V. carmine incipiente, quae per se stare potest neque ad eam, quae antecedit narrationem quodam modo refertur, neque eam postulat, ut apte, plane progrediatur atque per se cohaerentiam sententiarum servet.

Si Odysseam a V. carmine legere incipiamus, narratio longius progredietur, donec refertur ad ea, quae in quatuor primis carminibus narrantur, quamvis parva mutatione versuum efficiatur, ut narratio usque ad finem Odysseae nulla ex parte quatuor prima carmina postulet per se stet et totum perfectumque opus praebeat. Si licet comparationibus aliunde desumptis uti, refertur narratio a V. carmine instituta ad quatuor prima carmina ita, ut absentia Teucri in fabula Sophoclis, quae inscribitur „Aiax“ ad actionem fabulae. Ut enim absentia Teucri non est necessaria, ut actio fabulae progrediatur et in nodum nectetur, ita quoque itinera et profectiones Telemachi cum Minerva narrationem de Odysseo reversuro, revertente et reverso neque iuvant neque eam postulare neque retardare videntur. Sophocles potuit in sua fabula varias regiones, in quibus Teucer erat, describere,

ut, cum sit Odysseus in tali discrimine, Iuppiter magis misericordia moveatur ideo, quod etiam filio Odyssei Telemacho vel maximum periculum a procis insidias ei struentibus immineat, qua ratione apta cohaerentia utriusque sententiae non negatur, probatur tamen minime utramque ita quamvis per se apte iunctam sententiam ad antecendentem narrationem spectare eamque omni ex parte respicere atque postulare.

Versus 21 et 22 ex Odysseae carmine primo 63 et 64 hic transpositi. Concedimus tales repetitiones vel saepissime apud Homerum in allocutionibus et responsis inveniri, quare de iis nihil agemus; aliud vero iudicium est nostrum, si proximos duos versiculos 23 et 24 ex Odysseae libro XXIV. 479. et 480. assumptos cognoverimus, ubi sententia, quam hi versiculi exprimunt, suo loco posita esse videtur, cum Minerva sollicita sit, quomodo Odysseus necatis procis Ithacenses sibi reconciliet et in ea re ex Iove quaerat, sitne futurum, ut quae sunt adversae factiones armis certent, an foedus componant? Cui Iuppiter, ut filiae animum sedet, benevolentia et hoc loco aptissime respondet, non esse, quare desperet atque Odysseo, quamvis procos necaverit, timeat, cum ea ipsa consilium ceperit, ut Odysseus revertatur et a procis poenas repetat, qua in cohaerentia et versus et sententiam aptissime positos, quis est, quin ignoret; quod idem de nostro loco haud quisquam affirmaverit, praesertim cum monuerimus supra, quam in partem sententiae in hisce versiculis expressae et cum antecedenti oratione collatae accipiantur. — Nostro loco versus inepte sunt positi. Iuppiter magis miseriis pressum Odysseum iuvasset et Minerva magis esset contenta, si Iuppiter in oratione sua dixisset paratum se esse efficere, ut Odysseus in patriam reverteretur.

Ex iis, quae supra exponebamus, fit planum, prooemium V-ti carminis Odysseae a versu primo usque ad versum 27-um compositum esse ex versibus sumptis ex aliis locis Odysseae, ubi sunt suo loco et aptam efficiunt sententiam idque factum esse eo consilio, ut pro-

oemii narratio ad antecedentem orationem, quae quatuor primis carminibus Odysseae continetur, spectet et referatur eoque sententiae et narrationes arcta iunctura constrictae et colligatae esse videantur. Scimus equidem, neque est nobis incognitum, saepe apud Homerum versus iterari ita, ut iidem versus duobus vel pluribus locis verbum e verbo legantur, qua in re explicanda vel maximam laudem meruisse videtur doctissimus Godofredus Hermannus in libello, qui inscribitur: „de iteratis apud Homerum", quo in libello doctissimus vir invictis argumentis probavit iterationes apud Homerum nonunquam et iuveniri et postulari et necessarias esse, quam legem compositores utriusque carminis Homerici latius evolverunt, huic usui innixi sunt et versus ad arbitrium iterabautur. In opusculo, quod modo commemoravimus, Hermannus firmissimis argumentis ac rationibus docet, tria esse genera iterationum versuum apud Homerum. Itaque iterantur iidem versus in comparationibus, et in legationibus, ubi legatus Homerico modo loquendi rem, quae sibi nuntianda est mandata iisdem verbis, quibus percepit, ei, ad quem missus est, mutatis mutandis, nuntiat, quod genus iterationis saepius in utroque carmine Homerico invenitur.

Alterum genus iterationis est eius modi, ut, si vere rem consideraverimus, iteratio nulla habeat locum, cum inveniatur ea hisce Homericis locis, ubi duo vel plura carmina Homerica a quodam auctore in unum sunt iuncta et conglutinata. Cum igitur iidem versus in utroque vel unoquoque carmine positi fuerint, non est, quare miremur, quod hi iidem versus pristino loco relicti duobus locis iterum leguntur in carmine ex pluribus carminibus composito. Tertium genus iterationis illud est, quod compositores Iliadis et Odysseae ipsi dedita opera in utrumque carmen inseruerunt nonnullis locis, ubi narratio minus apte procedere neque cohaerere videbatur, idque fecerunt eo consilio, ut claudicanti atque interruptae cohaerentiae sententiarum succurrerent; ad quod genus iterationis et nostri versiculi, qui in prooemio V-ti

carminis 1—28 leguntur, sunt referendi, ex quo sequitur hos versiculos esse spurios et ideo e textu eliminandos, quo facto alterum concilium deorum interpolatum esse, statuimus, quod et internis et externis rationibus firmare planumque facere conabamur ita, ut secuti simus et iudicia multorum doctissimorum virorum, qui in ea re omnes consentiunt neque litem movent, et si quid potuerimus, nonnihil ex nostro iudicio probaverimus.

His ita disputatis planum est 28 priores versiculos quinti carminis Odysseae suppositos atque ex aliis carminibus esse translatos, quos, si amoverimus, lacunam habemus, quam nisi expleverimus, narratio quinti carminis, si a versu 29 incipiatur, nulla ratione cum re quarti carminis cohaeret neque ad eam refertur, quam difficultatem, ut amoveamus, ad duas res animum advertere debemus. Certe notum est nobis et omnibus existere viros eosque doctissimos, qui utrumque carmen Homericum et ab uno vate compositum et in utroque certam rationem consiliumque esse expressa, ad quae omnia episodia sint referenda et quibus utrumque carmen quasi contineatur, affirment atque defendant. cum alii sententiam contrariam veram esse contendant. Verum est equidem eos quoque, qui unitatem carminis defendant concedere, initium quinti carminis esse interpolatum; attatamen difficultati mederi posse contendunt, ita, ut in locum alterius concilii alios versus ponant, qui narrationem quarti et quinti carminis arcte coniungant. Nitschius sociique eius per totum carmen Odysseae putant penetrare unam sententiam ad quam omnes aliae sententiae, descriptiones, episodia sint referenda. Nitschius dividit Odysseam in quatuor partes. Prima pars a carmine I. usque ad finem carminis IV-ti agit de Odysseo absente.

Carmen alterum a V.—XIII. v. 123. de Odysseo domum reverso. — Carmen III. de Odysseo reverso et poenas de procis sumere parante. XIII. 125. — XVII. 182. Carmen IV. de Odysseo procos ulciscente et animum populi propter trucidationem procorum offensum

placante. Haec sententia Nitschii, a qua Faesius, quoad carmen Nitschii III. et IV. paullum discedit, ceterum eidem assentitur. Nos vero contendimus primum maius carmen Nitschii aptius carmen de Telemacho iter suscipiente et peregrinante nominari, cum in quatuor primis carminibus res a Telemacho in Ithaca, Pyli et Spartae gestae proferantur et cum sit Telemachu filius Odyssei per se sequi videtur, ut Odyssei absentis nonnunquam fiat mentio, praesertim cum de procorum lasciviis et iniuriis domo Odyssei illatis latius et vivide narretur, quae omnia haud talia esse putaverim, ut iam ideo, quod mentio, fiat Odyssei, totum carmen ab eo nomen ducat, quamvis omnes actiones ad Telemachum sint referendae et ab eo perficiantur, quare et narratio huius maioris carminis Nitschii sive quatuor priorum carminum Odysseae nulla ratione ad ea, quae in V. carmine narrantur, referri neque cum iis iungi neque eadem postulare videtur, quod idem valet de narratione a V. carmine incipiente, quae per se stare potest neque ad eam, quae antecedit narrationem quodam modo refertur, neque eam postulat, ut apte, plane progrediatur atque per se cohaerentiam sententiarum servet.

Si Odysseam a V. carmine legere incipiamus, narratio longius progredietur, donec refertur, ad ea, quae in quatuor primis carminibus narrantur. quamvis parva mutatione versuum efficiatur, ut narratio usque ad finem Odysseae nulla ex parte quatuor prima carmina postulet, per se stet et totum perfectumque opus praebeat. Si licet comparationibus aliunde desumptis uti, refertur narratio a V. carmine instituta ad quatuor prima carmina ita ut absentia Teucri in fabula Sophoclis, quae inscribitur „Aiax“ ad actionem fabulae. Ut enim absentia Teucri non est necessaria, ut actio fabulae progrediatur et nodus nectatur, ita quoque itinera et profectiones Telemachi cum Minerva narrationem de Odysseo reversuro, revertente et reverso neque iuvant neque eam postulare neque retardare videntur. Sophocles potuit quoque in fabula varias regiones, in quibus Teucer erat, describere,

et quo consilio profectus sit aliaque narrare, sed cum ea omnia ad fabulae consilium nullo modo referantur, paucis tantum expedit rem Teucrum abiisse, quod idem valet de quatuor primis carminibus Odysseae, si ea ad sequentem narrationem referimus. Quin etiam ne necessarium quidem est plane dicere in V. carmine Odysseum esse absentem, cum omnes sciamus fieri non posse, quin quis revertat, nisi prius iter susceperit et eo modo domo sit absens. Quod si qui dicant, nos minus facere recte, si naturam carminum Homericorum et fabularum Sophoclis eadem ratione metiamur, iis ita responsum esse volumus, ut sciant nos minime naturam internamque rationem compositionis in utroque genere servatae comparare esse ausos, sed tantum similitudinem et analogiam in referendis episodiis ad sententiam primariam in nostrum usum vertisse.

Si quis Odysseam evolvat, ut legendo voluptatem capiat, certe narrationem vel aptissime progredi omnesque partes secum arctissime cohaerere putabit; Ita enim artifice carmina in ordinem redacta sunt, ut unum et ab eadem manu exaratum opus exhibere videantur, utque, quod est mirandum, doctissimi illi scrutatores Alexandrinae scholae: Zenodotus, Aristophanes aliique decipi se passi sint et sagacissimus ille investigator carminum Homericorum Aristarchus, qui aliis locis nonnullos versus et extremam partem Odysseae spurios esse coniecerit, ne unum quidem versiculum in prooemio carminis quinti in dubium vocarit, quod non est mirandum, si nobiscum reputemus necessarium fuisse aut omnes 28 versus in dubium vocare, ordinem narrationis interrumpere et difficultati mederi aut omnes versus retinere et Odysseam opus ab uno auctore compositum agnoscere. Nostris demum temporibus parata est his versibus difficultas, cui unitarii quoque assentiuntur, qui tamen malo ita posse mederi putant, ut 28 versus eiiciendos et ponendos statuant alios versus, qui et aptum sint prooemium et totam narrationem antecedentium carminum respiciant, excipiant atque postu-

lent. Difficile quidem esse dicunt pro certo affirmare, qui versus initio primum positi et deinde a secunda minus perita manu amoti fuerint at sententiam, quam expresserint versus hanc fuisse coniectura se adsequi posse contendunt.

Duae propositiones Minervae in primo concilio deorum factae ita perficiuntur, ut uno eodemque tempore Minerva in Ithacam, Mercurius autem in insulam se conferant, quas duas res cum vates simul agere non potuerit, narrat Minervam ad Telemachum esse profectam et deinde praemissis quatuor carminibus et narratis, quae dea cum Telemacho gesserit, revertitur ad secundam propositionem dicitque eodem tempore atque Minerva in Ithacam se contulerit, Iovem Mercurium ad se vocasse, eique mandasse, ut Calypsonem adeat eique decretum deorum de Odysseo reducendo nuntiet, quod optime efficiatur hisce versibus.

Ἦμος ἀπ' Οὐλύμποιο καρήνων Παλλὰς Ἀθήνη
εἰς Ἰθάκην ἀπέβη μᾶλλον μένος ἐν φρεσὶ θεῖναι
Τελεμάχῳ καί μιν πέμψαι μετὰ πατρὸς ἀκουήν·
τῆμος ἄρ' Ἑρμείαν κάλεσεν νεφεληγερέτα Ζεὺς
καί μιν φώνησας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·

His versibus positis et narrationi a versu 29. carm. V-ti iunctis difficultatem esse sublatam contendunt ii, qui unitatem Odysseae defendunt, cum altero concilio sublato quatuor prima carmina cum sequentibus ita iungantur, ut narratio rectissime procedere vel potius fluere videatur, quod nos non negamus, paratique sumus in eam sententiam pedibus ire, nisi aliae orerentur difficultates, quae nos impediunt, quominus sententias horum doctissimorum virorum, quos honoris causa nominamus, amplectamur. De his difficultatibus infra uberius latiusque disputabimus.

Iam supra satis est dictum, quomodo narrationes quatuor priorum carminum cohaereant cum iis, quae in sequentibus carminibus narrantur. Nunc vero non id agimus, ut de ea re iterum disputemus, sed illud etiam atque etiam considerare debemus, sitne narratio de

proficiscente Telemacho an illa de revertente Odysseo maioris momenti in rebus Odyssei, quod etiam aliquid valere putamus in diiudicanda quaestione, sitne Odyssea opus ab uno scriptore ratione atque consilio exaratum. Si enim Odysseam opus ab uno viro exaratum ponamus, nulla subest dubitatio, quin fuerit ille, qui tantum tamque egregium opus consilio certo composuerit, vir praestanti ingenio praeditus nec non litteris et artibus institutus, a quo optimo iure postulamus, ut, si res Odyssei tractare atque in unum opus redigere voluerit, det primas partes narrationibus, quae Odysseum miseria oppressum attineant. At quid tandem in Odyssea in hac re factum esse deprehendimus? Quae narratio in Odyssea, si Odysseum spectamus, est maioris ponderis et quae tenet principem locum? In primo concilio deorum proponit Minerva, ut Mercurius se ad Calypsonem conferat, quae Odysseum dimittat se ipsam autem in Ithacam ituram dicit, quod si diu multumque reputamus atque ad illud animum advertimus omnia, quae a Minerva sint proposita, Odysseum prae primis spectare atque eam esse causam, quae moverit Minervam in primo concilio, ut de Odyssei sorte fortunaque conqueratur, iuste postulare debemus, ut propositio primo loco facta atque Odysseum spectans prius perficiatur idque ab auctore eo modo fiat, ut eam rem prius explicet narretque.

Quare compositor in Odyssea, si unus opus exaraverit, narrationes ita debuit disponere, ut ea propositio, quae agit de Odysseo eumque respicit primo poneretur loco, quam altera propositio de Telemacho agens excipere potuit. Non impedimus, quominus Minerva delectationis causa vel Telemachi rebus consulens in Ithacam se conferat et cum filio Odyssei proficiscatur atque vagetur quod tamen etiam postea perficere potest, quum ea res ex deae voluntate pendeat. Prima propositio, quae movet Athenam, ut in concilio loquatur atque de Odyssei casibus fortunisque queratur prius ponenda neque Iovis voluntati ac arbitrio commitendum fuit, quando Mercurius ad Caly-

psonem esset mittendus. Debuit igitur Minerva omnibus rationibus niti, ut decretum de reducendo Odysseo exsequeretur Mercuriusque in insulam Ogygiam mitteretur. Tamen haec omnia dea, quam in ceteris rebus animo et consilio paratam esse scimus, omnino neglegit neque curare videtur, cum ipsa oratione sua finita properet proficisci atque, ut ita dicam, avolare videatur ad suum Telemachum neque ex Iove quaerat, sint ne probata, quae ipsa proposuerit et utrum sperare possit, fore, ut Iuppiter priorem Odysseum spectanten propositionem sit perfecturus. Hac in re Minervam inconsiderate atque incaute egisse, quis est, quin videat? Debuit igitur Minerva in Olympo morari et exspectare, donec Mercurius in Ogygiam iret et hoc debuit scriptor primo loco commemorare, quo facto Minerva sese in Ithacam conferre ibique itinera suscipere potuit. Narrationes aptissime sequuntur, si eas ita disponamus. Oratione Minervae finita mittit Iuppiter Mercurium in Ogygiam, quo facto Minerva ei gratias agit, atque in Ithacam se ire dicit, abit et omnia haec peragit, quae in sequentibus carminibus sunt enarrata. Quid igitur movit compositorem Odysseae, ut hanc rationem in narrando sequi intermitteret et tamen totum opus Odysseam inscriberet.

Quod si quis dicat propositionem Minervae alteram principem locum tenere debere, ei sit dictum nos intelligere non posse, quare et qua ratione servata id fiat, cum propositio, quae est in reducendo Odysseo maioris momenti, principem locum quodam modo postulare videatur. Si initio cuiusdam maioris consilio atque ratione exarati operis memorentur narrationes minores, quae ad primam narrationem referantur, eam praeparent, iuvent atque cum eadem arctissime cohoereant, certe est ea ratio in ordinandis narrationibus servanda. At in Odyssea, quae est cohaerentia inter narrationem in quatuor primis carminibus expressam, quae tota agit tantum de Telemacho, et illam in sequentibus carminibus, quae Odyssei casibus enarrandis est occupata?

Nonne utraque narratio per se stare potest? Neque eam rationem probamus, si quis contendat eodem tempore et Minervam in Ithacam se contulisse et Mercurium insulam Ogygiam petiisse, idque tamen a poeta simul commemorari nequaquam potuisse. Hanc sententiam minime impugnaremus, dummodo, quod est ad evolvendam narrationem Odysseae maioris momenti, ut supra memoravimus, prius Mercurius in insulam Ogygiam proficisceretur. Quod si autem quis contendat, poetam in disponendis ordinandisque narrationibus minus rectam rationem consiliuque esse secutum, hoc idem valere dicimus atque affirmare, poetam non aptum fuisse narrationes aliqua ratione certoque consilio ordinare eumque litteris politum haud fuisse. His ita dictis planum est elaborasse quemdam virum, ut ex minoribus carminibus opus maius totum certa ratione ac consilio componeret et Odysseam inscriberet.

Si Odyssea est opus exaratum ab uno scriptore, si continetur aliqua sententia, consilium et rationem ex meditatione et ingenio eiusdem viri eam fluxisse, ut statuamus, necessarium esse putaverim. Sit vel maxima facultas poetica scriptoris, non est tamen negandum, quin opus maius, quod una sententia, quae familiam ducit, ad quam omnia referantur, contineatur, sine ratione, meditatione, litteris atque disciplina possit componi totumque unum appellari. His ita disputatis in eam sententiam descendimus, quae statuit Odysseam esse nequaquam opus unius scriptoris neque ab uno homine compositum sed esse Odysseam ab uno vel pluribus viris, ex pluribus carminibus Homericis in unum censertis compositam narrationem, qua compositione utrum sit ille vir assecutus, quod intenderit, infra fiet planum, cum cohaerentiam sententiarum in sequentibus narrationibus a libro V-to incipientes etiam atque etiam consideraverimus. Sed regrediamur paulo repetamusque narrationem, quae agit de Telemacho cum Minerva Pylum et Spartam proficiscente. Meminerimus Telemachum cum Minerva Pylum, deinde Pylo profectos esse Spartam, ubi ho-

